



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **BEATAM AC SEMPER EPISCOPO PLOCENSI**
CONCEDITUR UT POSSIT IMAGINEM B.M.V.
CORONARE PRETIOSO DIADEMATE, IN LOCO SIERPC,
IN FINIBUS SUAE IPSIUS DIOECESIS VENERATAM Ad perpetuam rei memoriam. – Beatam ac semper Virginem
Mariam, Christi Matrem sanctissimam, eandemque hominum decus ac praesidium, ab omnibus honorari, coli, atque
laude praedicari, id profecto tum Romanis Pontificibus maioribus Nostris semper sollempne fuit, tum Nobis, pro Nostra
erga Caelorum Reginam veneratione et amore, sanctum usquaequaque. Liquido enim patet cultum Matri attributum in
eius adorandum recidere Filium. Qua re, cum Venerabilis Frater Bogdanus Sikorski, Episcopus Plocensis, Litteris datis,
suo suorumque tum cleri tum fidelium nomine, ab hac apostolica Sede petierit ut sacra imago Beatae Virginis Mariae,
quae in templo loci vulgo Sierpc, in sua dioecesi, pretioso diademate redimiri posset, Nos, volentes Venerabili Fratri illi
gratum facere, simulque Polono populo novam augendae pietatis causam afferre, quam libenti animo eidem concedimus,
ut nomine Nostro inter Missae sollemnia stata caerimonia eam imaginem coronet, sic ut petitum, hora ac die, quae
aptiora visa fuerint ad augendam ritus sollemnitas. Contrariis nihil obstantibus. Ceterem, Deo eiusque beatissimae
Matri preces admovemus, ut quam aequissimis oculis ad pastorem gregemque Plocensis Ecclesiae respiciant, in fideque
confirment. *Datum Romae, apud S. Petram, sub Anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MDCCCCLXXX,*
Pontificatus Nostri altero. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria
Editrice Vaticana
